

INTERNARUM VIPERÆ PARTIUM explicatio, Tabula tertia.

CAP. XVIII.

INTERNA Viperei corporis parte in collo gula adest, à Græcis œsophag⁹; & larinx & pharinx asperæ arteriæ capita sunt, & partes, quæ ad pulmones ducunt, & simul apparent Gula, sive œsophagus, & aspera arteria, per quæ spiritus à pulmone foras educitur & introit. Prima igitur litera T & R, est aspera arteria, sive ejus partes sunt. Pulmo igitur est veluti vesicula oblonga, membranosa, varijsq; meatibus plena aëre turget. P & Q. sunt venæ, seu arteriæ, quæ ascendunt à corde & ab hepate ad gingivas, seu dentium vesiculas. S, œsophagum denotat. N, cor in pericardio. M, vero Jecur, per quod vena excurrit. L, ventriculum denotat, cui proxima est, K, vesicula fellis, & O, vena, quæ ab hepate ad radices dentium ichorosum & pravum sanguinem, aut fel veneni defert, ibique in dentium radicibus venenum actu Vipereum efficitur. G, fundum ventriculi, & principium recti intestini cui infixitur. E & C, est exitus foetuum. H & I, ovorum receptaculum, ut in gallinis, significat, & cōsequenter ejus amplitudinē. D & E, vasa seminaria demonstrat. A verò & B, sunt orificia intrinseca uterorum bifida, seu bipartita. Et hi sunt characteres tertiæ tabulæ.